

(31. Episcopus visitans parvos Conventus sibi suppositos nequit a visitatione aliquid accipere procurationis nomine, neque in pecunia, neque in victualibus, ut expresse fuit resolutum sequenti Decreto « Cum Sac. Congreg. super statu Regularium alias consulta, An Episcopus visitans parvos Conventus suæ jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes ad præscriptum Decreti San. mem. Innoc. X. quod incip. *Ut in parvis*, etc., possit a visitatione procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia, duxerit expedire, ut Sanctiss. D. N. decernat, et declaret non licere Episcopo tales Conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine; Sanctitas Sua Congreg. sententia audita eam expresse approbavit, noluitque licere Episcopis hujusmodi Conventus visitantibus aliquid accipere procurationis nomine seu in pecunia, seu in victualibus, et ita observari præcipit. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, etiam in corpore Juris clausis, cæterisque contrariis quibuscumque.

« Datum Romæ, 15 Junii 1665.

« Marcus Antonius Card. Fran.

« Loco † Sigilli.»

« Prosper Fagnanus Sec. Custos.»

ADDITIONES AUCTORIS.

(32. Addenda sunt quæ adducit sapientissimus P. Gaudentius de Janua in suo celeberrimo Opere recens Romæ impresso anno 1748, de Visitatione cap. 4, n. 17, pag. 362, ibi. His nihilominus dispositionibus supervenit declaratio Sacræ Congregationis super statu Regularium, quod generaliter Conventus nunquam suppressi, in quibus actu degant plures, quam sex Religiosi minime comprehendantur in dicto Innocentii X. Decreto propterea in hujusmodi Conventibus, aut illorum personis, Locorum Ordinarii nullam possint sibi jurisdictionem vindicare, prout refert. Lantusca, cit. n. 13, et firmat Panimoll. Dec. 84, adnot. 2, num. 62, quæ quidem declaratio innovata legitur ut diminutiones Religiosorum, redactorum ad sex, licet non plures, per Sacram Congregationem Concil. nimirum: « Conventum Regularium, in quo semper extiterunt de familia sex Religiosi, nec qui unquam fuit suppressus, non comprehendit in Decreto. » S. M. Innocentii X. *Ut in parvis*. Sic in Pientina Synodi 13, Septembris 1703, Dec. lib. 53. Quinimmo invenio recentiorum, quantum ad omnes Conventus decisionem ejusdem S. C. C. « Quod, videlicet, visitandi Conventum, et Ecclesiam nullum jus habet Episcopus, vigore Decreti *Ut in parvis*; si adsint sex Religiosi permanentes: in Ugent. sive Hydruntina Jurisdictionis, et censurarum 16, Martii 1715, in respons. ad secundum lib. decret. 65. » At omnibus dispositionibus, et declarationibus antea actis prævaleret equidem ultima, quæ a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium prodiit sub die 17, Aprilis 1744, in Auximana; scilicet quod Conventus omnes Regularium, licet num-

quam suppressi, an quibus non degant de familia duodecim Religiosi, uti supra, comprehensi intelligantur in Decreto Innocentii X. *Ut in parvis*, ideoque subsint Ordinarii Visitationi, ac jurisdictioni: non obstantibus Decretis quibuscumque præcedenter in favorem Regularium, si et quatenus, editis. Verumtamen Decreto huic ultimo deest approbatio Sanctissimi, ad quem deferri debuerat; proinde adhuc sub Judice lis esse censenda est. Cum siquidem in hujusmodi causa, vertente inter Promotorem Fiscalem Curie Episcopalis Auximi, ex una, et Conventum, ac Patr. Minor. Conventuales Sancti Francisci Terræ Staphili, ex altera parte; propositum fuisset infrascriptum dubium, videlicet

(33. An liceat Episcopo visitare Conventum RR. PP. Convent. d. Terræ Staphili; ita ut sit standum vel recedendum ab alias decisis in casu, etc., S. C. Eminentissimo Gentili Ponente, partibus auditis, et re mature perpensa, ad supradictum dubium respondit.

34. Prævio recessu a decisis, etc. *Affirmative; et ad mentem* Mens fuit, quod supplicetur Sanctissimo pro declaratione; « licere Episcopis, ad formam Decreti, *Ut in parvis*, visitare Conventus suppressos in Bulla *Instaurandæ*, et in literis circularibus descriptos; etiam si suppressio non sit executioni mandata die 17, Aprilis 1744. » Instantibus autem PP. Conventualibus pro nova audientia; eadem S. C. sub die 22 Aprilis benigno concessit, et mandavit, supersederi usque ad primam Congregationem; die vero 19, Junii 1744, cum petita fuerit prorogatio, ipsamet S. C. decrevit, ut sequitur: « Quoad Conventum Staphili rejiciendam esse instantiam; prout rejecit; et in reliquis prorogavit supersessionem usque, etc. » Inde die 13, Novembris ejusdem anni 1744. exiit absolutum Decretum, quantum ad omnes Conventus parvos in casu etiam nunquam suppressos, ab Ordinariis respective visitandos scilicet « In decisis die 17 Aprilis ejusdem anni non obstantibus resolutionibus, et quibuscumque Decretis hætenus emanatis. » Sed deinceps a Sanctissimo nulla provisio amplius prodit, ut debuisset, ex vi supplicationis ipsi porrigendæ: attento antedicto primo Decreto sub die 17 Aprilis. Hinc quantum ad Conventus non suppressos in casu, adhuc stant in terminis priora Decreta, quod nempe nequaquam subsint Visitationi, etc., quoad usque Sanctissimus determinant. *Hæc ille expressis verbis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(35. Quoad Conventus, in quibus exigua inhabitat Familia, ad vitandum errorem, sequentia sunt notanda. I. Conventus fundati ante Decreta de celebratione Missarum die 21 Junii 1625, edita a S. Congregat. Concilii interprete, (36. et approbata a S. M. Urbano VIII, et non suppressa vigore Constitutionis incipientis *Instaurandæ* S. M. Innocentii X, si duodecim habent Religiosos, subjecti sunt jurisdictioni Episcopi

in concernentibus non solum disciplinam Ecclesiasticam, sed et institutum regulare, ut Sacra Congregatio super statu Regularium de anno 1655, rescripsit in 2 dubio.

(37. II. Conventus suppressi virtute mox dictæ Constitutionis S. M. Innocentii X, et postea restituti, si sex Religiosos minime habeant, subjecti itidem sunt jurisdictioni Episcopi, tum quoad Ecclesiasticam disciplinam, tum quoad institutum regulare, juxta eandem resolutionem Sacr. Congregat. super statu Regularium in d. 4 dubio.

(38. III. Conventus fundati post dicta decreta, si Religiosos duodecim nequaquam habeant, subjecti utique sunt jurisdictioni Episcopi, at circa dumtaxat disciplinam Ecclesiasticam, non item circa regulare institutum, ut tradunt Pignatell. consult. Canon. tom. 2, consult. 136, num. 24, optime Del Bene de Immunit., et Jurisdiet. part. 2, c. 24, dub. 21, n. 5.

(39. Non importune hic quæritur, utrum Conventus, de quibus disseritur, subsint jurisdictioni Episcopi ordinariæ an delegatæ? (40. Quod attinet ad Conventus fundatos ante præfata decreta, et non suppressos, tum ad Conventus suppressos, et postea restitutos, non ordinariæ, sed delegatæ jurisdictioni Episcopi subesse, patet ex decreto *Ut in parvis*, lato in executionem dictæ Constitutionis *Instaurandæ*: in quo expresse habetur, quod subjecti ii sint Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato. (41. At quod concernit Conventus fundatos post toties memorata decreta, eosque præsertim, qui a principio non habuerant duodecim Religiosos, tuto affirmari haud potest, subesse ipsos delegatæ Episcopi jurisdictioni; idque quia minime in iis dictum fuit, quod subjecti ipsi sint Episcopo uti delegato Apostolicæ Sedis, sed postquam jussum fuit, ut non fundentur Conventus, nisi reditus habeant sufficientes sustentationi duodecim Religiosorum, subditum fuit: « Alioqui Monasteria, et loca hujusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur. »

(42. Utilis autem est hæc observatio ad plures effectus. Ut alios taceamus, in Ecclesiis Conventuum illorum, qui nonnisi delegatæ jurisdictioni Episcopi subsunt, nequit Parochus Parochiæ, in qua positi ii sunt, officium funebre peragere super cadavere sui Parochiani; propterea quod durat adhuc exemptio, quæ impedit, quominus dictum officium funebre a Parocho super Cadavere sui Parochiani peragatur, ut rejectis Romæ ad Synodal. Gerunden. lib. 3, tit. 3, cap. 3, num. 22. Brasch. in Promptuar. Synod. cap. 110, num. 38. Monacell. Formul. Eccles. tom. 2, tit. 13, formul. 1, num. 70, aliisque, videtur sensisse Sacra Congregatio Conc. interpres in Volaterrana 16 Martii 1726 ad 3 dub. tum Sacra Congregatio Episcoporum, Regularium negotiis præfecta in

Nullius seu Terræ Pontian. Jurium Parochianum 20 Martii 1739, et in Pientina 4 Februarii 1757. (43. Sed in Ecclesiis aliorum Conventuum, qui ordinariæ Episcopi jurisdictioni sunt subjecti, cum cesset privilegium illud exemptionis natura sua, ut dictum, est impediens quominus possit Parochus officium funebre peragere super Cadavere sui Parochiani, non est cur excludi ab eo possit Parochus. (44. Quoties enim Ecclesia posita est intra limites Parochiæ, nec est exempta, jus est Parocho peragendi officium funebre super cadavere sui Parochiani; Marant. Respons. 21, n. 54, tom. 4; Lanfredin. Respons. Eccl. 17, n. 8.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt conventuum clausuram.

(1. Omnes Regulares, quicumque sint obligantur ad habendum aliquod genus Clausuræ in Claustro, et Conventibus suorum Ordinum, c. *Placuit* 8, cap. *Juxta* 11, cap. *Monachi* 33, caus. 16, qu. 1, et cap. *Pervenit*, 20 caus. 18, quæst. 2, ubi prohibentur introduci Mulieres in Monasteria virorum, ut omnis radicatus evellatur occasio violandi votum Castitatis. (2. Specialius tamen Conventuum Regularium Clausuram respiciunt duæ Constitutiones Sancti Pii V, quarum prima, incipiens *Regularium Personarum*, revocat omnes facultates ingrediendi Monasteria, et loca virorum Regularium quorumcumque Ordinum mulieribus concessas; (3. Et per ipsam Mulieres ingredientibus Clausuram Conventuum virorum prætextu licentiarum, excommunicantur excommunicatione Papæ reservata. (4. Regulares vero ipsas præsumentes introducere vel admittere, officiis privantur, inhabiles ad illa, et alia obtinenda declarantur, et a Divinis ipso facto, sine alia declaratione, suspenduntur. (5. Secunda Sancti Pii V Constitutio incipiens, *Decet Romanum Pontificem* extendit eandem poenas etiam ad mulieres sine licentiarum prætextu Clausuram Monasteriorum virorum ingredientibus, et ad Religiosos eas intra Monasterii Clausuram, etiam absque ullo licentiarum prætextu, admittentes. (6. Regulares quamvis ex dictis duabus Constitutionibus Sancti Pii V non ligentur excommunicatione, introducendo, vel admittendo feminas intra Conventuum suorum Clausuram, ipsam tamen excommunicationem incurrunt introducendo, vel admittendo ipsas sub licentiarum prætextu, ut declaravit Greg. XIII Constitut. incip. *Ubi gratiæ*. (7. Et ipsam excommunicationem absolute incurrunt, introducendo sive prætextu licentiarum, sive sine talium licentiarum prætextu, ut declaravit Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium, cujus decreti tenor fuit a Cardinali Matthæo Ordinis Minorum Protectore transmissus Commissario Generali Minor. de Observant. ei ordinando, ut significaret omnibus Provincialibus, et Custodibus, (8. « che li Signori Cardinali della Congregazione de Vescovi, e Regolari hanno deciso, e determi-



nato, che dove è il Guardiano con la famiglia, eziandio che il luogo non sia affatto compito, nè circondato da muri, fossi, o siepe, e che sia aperto, ivi sia clausura, siccome ha deciso la fel. mem. di Papa Pio V ed entrandovi le Donne siano scomunicate, e li Frati, così Prelati come sudditi, introducendole, incorrano nella stessa scomunica riservata al Papa, restando ipso facto privi dell' officio loro, ed inabili in futurum.

« Il medesimo si dice delle selve, che non sono circondate, ut supra, etiam che siano grandissime: in quella parte però s' intende clausura, ove li Frati sogliono ordinariamente passeggiare, dicendo le loro divozioni: ma dove fosse selva grande, che serve per legname, e li Frati ordinariamente non vi sogliano conversare, nè praticare, o che sia luogo aperto, ivi non s' intende Clausura.

« Ma nelli luoghi, dove non sono più che tre, o quattro Frati alla cura della Fabbrica, ivi non è Clausura, tanto nella selva, quanto negli Orti; nulladimeno se li Frati introdurranno le Donne nelle stanze, dove abitano, dormono, mangiano, o cucinano, siano penitenziati, e privi, come di sopra. È vero, che dove è consuetudine, che le Donne servano per manipolo, portando calce, pietre, e simili, se bene ci fosse il Guardiano con la sua Famiglia, e le Donne fossero entrate per l' spedizione della Fabbrica, così nel orto, selve, e parte del Monastero, ove si fabbrica, come ove sta serrato, purchè non vadano in parte dove abitano, dormono, e mangiano detti Frati, non incorrano in scomunica. E nostro Signore la prosperi.

« Roma, 4 Ottobre 1588.

« Come Fratello.

« Il Card. Mattei Protettore. »

(9. Nomine Clausuræ Conventuum, in quam est feminis interdictus ingressus, intelligitur totum illud spatium quod intra septa Monasterii, seu Conventus continetur, id est Claustra, Cellæ, officinæ, Cenaculum, seu Refectorium, Dormitorium, Infirmaria, Coquina, et hujusmodi. Est communis. (10. Viridaria, seu Horti, et Prata cum Conventu, et Claustra conjuncta veniunt nomine Clausuræ, ita ut mulieres ipsa ingredienties excommunicationem incurrant; Sacra Congreg. Episcoporum et Regularium in una Dominic. 24 April 1582, in Laudensi 13 Septemb. 1583 et in Arben. 3 Junii 1606. (11. Secus vero si ipsa Viridaria, et prata sint a Clausura separata clavi, et muro convenienti. (12. Eadem Sacra Congregatio ibid. Sacristia, ad quam non patet aditus nisi per januam, quæ sit in Claustro, comprehenditur sub clausura; (13. Secus vero si habet ingressum a sola Ecclesia, quia sic censetur pars Ecclesiæ, et ejusdem, et non Conventus Officina; Donatus tom. 1, tract. 4, quæst. 12, part. 2; Bonacina tom. 1 de Clausura qu. 3, punct. 1 sub n. 1; Sorbo verb. ingredi Monasteria Fratrum, et Monialium; Ameno, Mathæucci, et alii passim. (14. Si vero ad Sacristiam duplici porta, una in Claustro, et alia in Ecclesia existente pateat aditus, contineri

sub Clausura docuerunt Bonacina, et Ameno post Sorbo ponderantes Sanctum Pium V et Gregorium XIII duas supralaudatas Constitutiones edidisse ad consulendum Religiosorum quieti, ipsosque liberandos ab innumeris molestiis, et periculis ex mulierum frequentatione, et conversatione oriri solitis; quæ omnia, cum æque faciliter oriri possint per mulierum ingressum in Sacristiam, cui patet aditus ab Ecclesia, et a Claustro, videntur per eundem sanctissimum finem ab ea prorsus arcendæ. Et hujus mentis videtur fuisse Sac. Congreg. Episcop. et Regularium teste Gavanto in Manuali Episcoporum, verb. Regularium virorum Monasteria, ibi: « Sacristia comprehenditur sub Clausura; » Congregat. Episcop. et Regularium, 28 Aprilis 1605, et Barbosa supra Trident. sess. 25, de Regul. cap. 5, num. 115. bi: « Sacristia Choro contigua alicujus Monasterii Religiosorum est sub Clausura comprehensa; » Eadem Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium in Salmonen. 10 Augusti 1613. (15. Sed praxis fere ubique videtur in contrarium. Mulieres, quæ vadunt in prima Claustra ad hauriendam aquam, modo Conventus habeat alia Claustra in via Mulieribus, non incidunt in excommunicationem; Sac. Congr. Episcop. et Regul. in una Venetiarum, 16 Maii 1582, in una Assisiensi 17 Septemb. 1583 teste Nicol. in Floscul. verb. Claustrum n. 3.

(16. Nomine mulierum quibus prohibetur ingressus in Monasteria Religiosorum, veniunt omnes feminæ eujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, etiam Comitissæ, Marchionissæ, Ducissæ, textu expresso in d. Constit. Sancti Pii V. incip. Regularium Personarum, ibi: « Mulieribus eujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, » etc., et in dicta Constitutione Gregorii XIII. incip. Ubi gratia, ibi: « Quibus etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, et aliis eujuscumque status, et conditionis mulieribus, » etc. (17. Attende tamen novissimam dispositionem Benedicti XIV. adductam infra sub num. 36. Etiam fundatrices Conventuum, quantumvis nobiles sint, et excellentes, comprehenduntur sub ista prohibitione, quia hoc creditur fuisse intentum Sancti Pii V, et Gregorii XIII. in laudatis Constitutionibus, ideo enim in eis expresserunt Ducissas, et similes, quia istæ solent esse Fundatrices; Rodriquez in expositione Motus proprii Sancti Pii V. num. 3. Lezana in Summa quæstionum Regular. cap. 10, num. 10, et alii; observa tamen dictam novissimam dispositionem. (18. Etiam puellæ parvulæ eujuscumque sint ætatis, ut colligitur ex Constitutione Eugenii IV. edita pro Congregatione S. Justinæ de Padua incip. Et si quaslibet personas, ubi sic expresse cavetur: « Nulli hominum liceat quascumque Mulieres Laicas, seu Religiosas (eujuscumque ætatis, status, gradus, auctoritatis, vel conditionis existat) quavis occasione ducere, sive ipsis mulieribus ingredi, seu

commorari infra septa Monasteriorum præfata Congregationis Sanctæ Justinæ de Padua; quod si aliter scienter attentatum fuerit, tam ipsæ mulieres, quam earum ductores, sed et ipsi receptores, si voluntarie hoc fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua dictæ Congregationis Personæ absolvi possint per Præsidentem et Visitatores Congregationis hujusmodi. » Sic apud Confectium fol. 34. Constit. 3. dicti Pontificis. (19. Et sic pro Clausura Monasteriorum Monialium statuit Concil. Trident. sess. 25. de Regular. et Monialib. cap. 5. ibi: « Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat eujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint. » Et sæpe sæpius declaravit Sac. Congregatio Episcoporum, et Regularium, quod introducens infantes eujusvis sexus, vel ætatis incurrit censuras violatæ clausuræ; et signanter in Tudertina 7. April. 1559. in Neapolitana 22. Martii 1580. in Taurinensi 10. Junii 1650. Unde tolerari non debet, quod puellæ licet parvulæ ingrediantur, et egrediantur ad libitum; in Pistoriensi 24. Februarii 1759. Et abbatissa, quæ hoc permittat, privatur officio, voceque passiva, in una Sancti Severini 8. Maii 1595. Hinc si tolerari non debet in Monasteriis Monialium, ut puellæ, licet parvulæ, ingrediantur, et egrediantur ad libitum; a fortiori videtur non esse tolerandum in Conventibus, et Monasteriis virorum.

(20. At praxis pluribus in locis videtur contraria, et posse puellas parvulas intrare in Monasteria virorum, non obstante prædicta prohibitione, tenent Rodriquez in expositione Motus proprii S. Pii V. num. 12. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 27, num. 4. Lezana in summa quæstionum Regular. cap. 10, num. 10. et alii plures. Et ratio ipsorum est, quia dicunt ipsi, finis prohibitionis est ne detur Religiosis occasio impudicitiae, quæ occasio cessat in parvulis puellis. (21. Sic etiam praxis videtur contraria de Ducissis suprema auctoritate, jurisdictione gaudentibus, et de Fundatricibus, apud plures, quia tales Ducissæ in suis ditionibus æquiparantur Reginis, cum in ipsis suprema gaudeant auctoritate, et jurisdictione, ac ipsæ Reginæ; Et Fundatrices intrantes videntur tolerari a quibusdam Summis Pontificibus, ut a Julio II. Constitut. incip. Licet; ubi in Conventus Minimorum Sancti Francisci de Paula prohibet ingressum Mulierum non Fundatricum, nec de stirpe Regia, apud Peyrin. de Privileg. Regul. tom. 1. Constit. 6. Julii II. qui ibidem § 6, n. 6, p. 1090. subjungit: « Regulæ Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula (in qua cavetur, ne Superiores aliquas Mulieres in dicti Ordinis Conventus ullatenus intrare permittant; Verumtamen singulæ Dominæ de stirpe Regia procreatæ, ac etiam omnes hujusmodi Ordinis Fundatrices honeste cum sua comitiva intrare, ac devote visitare tolerentur) non est derogatum per Constitutionem Pii V. supra positam, et editam anno 1566. 24. octobris, quoad Reginas, vel Fundatrices dumtaxat, prout declaravit

Gregorius XIII. etiam ex sententia Congregationis Concilii 21. Novembris 1577. » (22. Imperatrices, earumque Filia possunt intrare in Monasteria Religiosorum cum sua decenti comitiva; Quia cum Pontifices in supra laudatis Constitutionibus non fecerint mentionem de illis, credendum est noluisse ipsas comprehendere sub prohibitione; Rodriquez tom. 1, quæst. Regul. quæst. 48, art. 1. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 17, num. 5. Lezana in Summa quæstionum Regular. cap. 10, num. 10. et alii passim cum praxi universali; Attende tamen d. novissimam dispositionem.

(23. Mulieres omnes possunt licite ingredi in Conventus Religiosorum tempore Processionum, dummodo Processionem sequantur, nec ad interiores officinas, vel Religiosorum cellas divertant. Hoc expresse concessit S. Pius V. Constit. incip. Decet Romanum Pontificem, quæ cum eis concedat posse licite ingredi etiam quando in eis Missæ, et alia Divina Officia celebrantur, ac aliis piis contingentibus, ut ab omnibus sciatur ad quæ se extendit, hic ad literam datur, prout refertur etiam a Confectio in collectione privilegiorum Regularium fol. 182.

PIUS PAPA V.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

(24. Decet Romanum Pontificem certissimum mentis suæ interpretem, si quando quidpiam dubietatis in Literis ab eo emanatis occurrit, suæ declarationis oraculo quam primum explanare. Cum alias a Nobis emanaverint quædam Literæ in simili forma Brevis sub die 24. Oct. 1566. Pontificatus nostri anno primo, in quibus mulieribus quibuscumque Monasteriorum Regularium ingressus cum derogatoriis claus. et irritantibus decretis prohibetur, et alias prout in illis plenius continetur. Nos intuitu, et in favorem Congregationis Montis Virginis, aliquas dubitationes, quæ circa dietarum Literarum, et mentis nostræ intelligentiam oriri possent, elucidare, submovere volentes, supplicationibus dictæ Congregationis, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Apost. auctorit. tenore præsentium dicimus, et declaramus, fuisse, et esse mentem, et intentionem nostram, quod dictæ Literæ non solum comprehenderent, et comprehendant Mulieres habentes, et prætententes facultatem, et indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam omnes et quascumque Mulieres alias tam in genere, quam in specie; significantes nihilominus, prout significamus, quod propter hoc, et prædictas nostras Literas non intelleximus, nec intelligimus, quod Mulieribus præcluderetur, nec præcludatur aditus ad Monasteria, et loca Regularia dictæ Congregat., ac eorum Claustra, quando in eis Missæ, et alia Divina Officia celebrantur, ac cum Processiones fiunt, et quando Christifidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca d.